

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XVIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

narrationem, ut referre aliquid Legati suis possent. Et quanquam simplicissime omnia scripta sunt, tamen calumnias metuo. Vestræ Ecclesiæ & urbi tranquillitatem opto, & oro Filium DEI, ut vos & nos gubernet. Oro etiam, ut exules Anglos, & Petrum Martyrem amanter complectaris. Ipsi etiam scripsi, & eum adhortor ad tuendam Ecclesiæ vestræ concordiam. Bene vale, die 29. Maji.

Philippus.

XVIII.

S. D. Clarissime D. Doctor, patrone colende.

VERBIS non possum explicare, quam mihi grata fuerint & epistola tua, ex qua undiquaque plurima paternæ erga me benevolentia tuæ illustria testimonia elucebant, & munus *παρρησιας* amplissimum, & pia ac ardentia vota pro conjugii mei tranquillitate facta, quæ efficacia esse nunc quotidie experior. Cum autem gratitudinis meæ significationem vicissim tibi ostendere nunc nulla re alia possim, quam memori ac grata mente: DEUM oro, ut ipse tibi meo nomine gratiam cumulatè referat. Ego quoque, si DEUS mihi facultatem præbebit in patria tecum conjunctius vivendi, meam observantiam ac pietatem erga te omni officio declarare studebo. Nuper accessit sum literis inclyti Principis Palatini in Academiam Heidelbergensem, & accedunt exhortationes gravissimæ mei Mæcenatis & carissimi patris mei, cujus senectam mutuo conspectu & complexu levare, eique coram voluptati & ornamento esse toto pectore optarim, sed sesquiannum adhuc meâ promissione huic oræ Balthicæ alligatus sum. Quod si Deus mihi prorogabit vitam, interea in patriam expatiabor, & de toto cursu vitæ meæ coram tecum, tanquam altero parente meo fidelissimo, meique amantissimo, colloquar. Hactenus sex annos, tantum in schola mediocri diligentia docui; Ad *παρρησιας* videor mihi minus idoneus esse; Ac etiamsi me in eo docendi genere sedulo exercuissem, tamen viri præstantiss. & eloquentissimi, D. Hedionis locum obire bonâ conscientia nullo modo possem. Quare etiamsi DEUS volet me vobiscum conjunctis operis, aliqua ipsi grata & Ecclesiæ salutaria facere, tamen eam functionem, quam Hedio sustinuit, nequaquam mihi reservari velim, sed plura coram DEO volente. Mitto vobis epithalamia, de meo conjugio edita, quorum lectionem spero non ingratham fore, eo etiam nomine, quod poema Willibrochii nomine editum, una cum versibus Græcis, totum Philippi est. Bene vale. Rostochii Idib. Februarii Anno 1554.

David Chytræus.

XIX.